

Tusc. II. 19. Honestum summum bonum est, turpe summum malum.

Fin. III. 1. Nec vero ullum probetur summum bonum, quod virtute careat; qua nihil potest esse praestantius.

Off. I. 2. Qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum; idque suis commodis, non honestate metitur: hic, si sibi ipse consentiat, et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit, nec justitiam, nec liberalitatem. Fortis vero, dolorem summum malum judicans, aut temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. —

Fin. III. 3. Quidquid praeter id, quod honestum sit, expetendum esse dixeris, in bonisque numeraveris: et honestum ipsum, quasi virtutis lumen, exstinxeris, et virtutem penitus everteris. —

Fin. V. 22. Hoc loco tantum explicemus, haec, honesta quae dico, praeterquam quod nosmet ipsos diligamus, praeterea suapte natura per se esse expetenda. Indicant pueri: in quibus, ut in speculis, natura cernitur. Quanta studia decertantium sunt? quanta ipsa certamina? ut illi efferuntur laetitia, quum vicerint? ut pudet victos? ut se accusari nolunt? quam cupiunt laudari? quos illi labores non perferunt, ut aequalium principes sint? quae memoria est in his bene merentium? quae referendae gratiae cupiditas? Atque ea in optima quaque indole maxime apparent: in qua haec honesta, quae intelligimus, a natura tamquam adumbrantur. Sed haec in pueris. In iis vero aetatibus, quae jam confirmatae sunt, quis est tam dissimilis homini, qui non moveatur et offensione turpitudinis, et comprobatione honestatis? quis est, qui non oderit libidinosam, protervam adolescentiam? quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiam si sua nihil intersit, non tamen diligit? Quis Pullum Numitorium, Fre-gellanum, proditorem, quamquam rei publicae nostrae profuit,